

v^o 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.



I. N. J. A.
INTRODUCTIONIS AD LOCOS
Theolog. B. Chemnitii,
DISPUTATIO II.

Ex quâ

De

TRACTANDI RATIONE
IN SINGULIS LOCIS ADVERTEN-
DA ET NOVEM CAUTELIS COM-
PREHNSA,

Præside

JOH. BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.
Licentiato, Profefs. Publico & ad D. Thomæ
Ecclesiastæ;

Respondente

M. GEORGIO Lehman / Belgrâ-Misn.
XII. Januar. Anni 1648.
disputabitur.

LIPSIAE,

Typis HENNINGI CÔLERI.

CAP. III.

*De Tractandi Ratione in singulis Locis ad-
vertendâ & Novem cautelis compre-
hensâ.*

Disp. II.
Respondent.
M. Georgio
Lehmann
Belgrâ-Mis.

I. *Status controversiæ & genuina thesis, ante omnia, determinari & observari debet. p. 33,*

§. I. Ut scilicet *Fallacia ἐπιπορευτικῆς* devitetur & non supponatur aliud, de quo in præsentî, nulla lis ac controversia est. Illustrat hoc *Chemnitius* à periculo neglectus hujus moniti, non obscuro ex duobus capitibus; Uno inter *nos & Papistas*, altero inter *Nos & Cinglianos* controverso. Ubi, quantum ad posterius attinet, adverti debet, *Chemnitium* non negare *Omni præsentiam* carnis Christi, aut de eâ disputare noluisse, quando loco allegato notavit, *Cinglianos* in re Eucharistica veram Controversiam, quæ est de præsentia corporis Christi juxta verba institutionis, dolosè occultare & plurimum verborum de ejusdem corporis ubiquitate perdere; ut quidem *D. Franck* in *Stab der (Calvinischen) Wahrheit* §. 57. lit. E. 2. pervertit hæc verba. Non ita est. Ostendere vult *Chemnitius*, (accerrimus assertor ac defensor *Majestatis* divinæ carni Christi communicatæ, ac *Omnipræsentis*, ut ex libro ejus de *duabus naturis in Christo* cap. 30. pag. 521. seqq. manifestum est,) fraudem *Cinglianorum*, in hoc maximè præcæteris conspicuam, quòd *Controversiæ Sacramentariæ* substituunt aliam, eamque odioso, & ut *B. Selneckerus* in præfat. allegati libri *Chemnitii* appellat, portentoso ubiquitatis vocabulo designent, cum alibi, in Loco scilicet de *persona Christi*, de hoc *Controversiæ* capite disputetur, & in præsentî tantùm quærat, de corporis Christi vera ac reali præsentia, prout quidem ejus fundamentum proximum est *Voluntas Christi*, in *Verbis Institutionis* expressa.

22
§. 2. Circa status determinationem etiam advertere licet, quibus phrasibus & modis loquendi prisca Ecclesia eum olim expresserit, & quam sæpe unius saltem extremi, in orthodoxi cujusdam dogmatis propugnatione rationem habuerit, non attento altero, de quo quia motum nondum id fuerat, nec cogitavit. Factum hinc est, ut incaute quandoque de uno ac altero puri Doctores locuti fuerint, quod postea ad suas traxerunt partes adversarii, eoque suum virus consperserunt ac in crustarunt. *Basiliius in Epist. XLI. quæ T. II. Operum fol. 24. edit. Basil. 1565.* habetur, ad Maximum Philosophum pulchrâ similitudine hoc declarat, quando de *Dionysii* scriptis ita pronunciat: *Non omnia hujus Viri laudamus. Nam ipse, quantum nobis liquet, primus hominibus impietatis istius Anomiana, quæ jam passim obstrepit, seminaria objecit, causam verò hujus non puto animi malitiam esse, sed quod vehementer cupit obluclari Sabellio. Soleo itaq; illum similem estimare plantatori cuiquam, qui recentis plantæ correcturus aversionem, ita immoderate illam detorquet, ut à medio aberret & ad contrarium latus ramulum abducatur. Tale quid & ab hoc Viro factum deprehendimus. Cum enim vehementer impietati Libyanæ resisteret, non observavit, quàm in contrarium malum nimio contendendi studio abduceretur. S. Augustinus ipse in Retractationibus suis confitetur, contra Manicheos sæpe se asseruisse, quod in Controversia cum Pelagianis coepta, inflexione quadam & commodiore explicatione indigeret, Et l. 1. contra Julianum, ad antiquorum scripta sibi objecta, respondet: Pelagianis nondum litigantibus securius loquebantur.*

§. 3. Chemnitius præsentis Ecclesiæ fatum allegat, ubi propter Pontificios de *Justificatione & Gratia* paulò aliter cogamur loqui, atque *Augustinus contra Pelagianos* locutus fuerit. Et nos Controversias *Tübingensem & Rathmannianam*, quarum illa de Majestatis carni Christi communicatæ universalis ac perpetuo exercitio, in Exinanitionis statu; hæc de *formali*, ut vocant, *Scriptura Sacra*, inter nostros Theologos, paucos ante annos mota & reciprocata fuit, in exemplum Cautelæ hujus sistimus; ubi multa præcedentium Theologorum dicta & asserta justæ explicationis indiga, multum negotii recentioribus Theologis fecerunt.

II. Te-

II. *Testimoniorum Scriptura* ceu sedium fundamentalium Status Controversiæ seu *νεωμένων* ritè formati, cautè haberi debet ratio; in eorundemque tùm *selectu*, tùm *explicatione & applicatione*, tùm *vindicatione* accuratè procedendum. p. 35.

§. 1. In *selectu* propria & perspicua testimonia prevalere debent obscurioribus & paradoxis; Nec enim ingenii ostentatio hîc locum habet, sed pia simplicitas, piscatoria illa, ut à *Chemnitio* nostro appellatur, primas obtinere debet partes. Unde in *πρότερον παιδείας* Christianæ seu *ordine Catecheseos*, primò attendi debent illa dicta, quæ in Nov. Test. clarius & evidentius testimonium ferunt de mysteriis fidei. Quod quidem non ita exclusivè intellectum volumus, ac si cum *Photinianis* Veteri Testamento derogare, ejusque divinam & perpetuam auctoritatem infringere: aut cum *Arminianis* latitudinem fidei in Nov. Test. præ Patriarcharum fide asserere, ac inficiari vellemus, doctrinam nostram, prout in *Aug. Confess.* à nostra Ecclesia comprehensa est, ex Vet. Test. demonstrari posse: Sed hæc mens ac sententia est nostra: plerosque fidei Articulos *litteris clarioribus* extare in Nov. Test. quàm in Vet. Test. ubi obscuritatem viva vox *Ἰεσοῦ*, quæ tum viguit, supplere & multa paulò obscurius dicta explicare potuit ac debuit. Et omninò dicta *evidentiora*, quæ instar *lapis* sunt, primò locò proponi, difficiliora verò ex Clarioribus illustrari, ordo doctrinæ etiam in Scripturâ S. præscriptus, *Ebr. V, 12. 13. seq. I. Cor. III, 2. seq.* exigit: Quæ etiam mens est nostri *Chemnitii*, quam ita exponit: *Testimonia inde usque ab initio Ecclesiæ petantur, etiamsi sæpè videantur obscuriora, ut certi simus, omnibus temporibus, statim ab initio sonuisse in Ecclesia illam vocem doctrinæ. Deinde illis obscurioribus subjungantur quæ magis sunt perspicua: ut cōsideretur illa dispensatio, quomodo in Scriptura, doctrina de articulis fidei progressu temporis subinde sit illustrius exhibita & proposita.*

Et in illa serie testimoniorum veniendum tandem est ad ea, quæ clarissima sunt, & quæ labefactari nullò modò possunt.

§. 2. Et quando ita in promptu sunt testimonia, tanquam propriæ sedes horum vel illorum dogmatum, non sufficit, si nuda eorum verba recitemus, sed diligenter ostendendum est, *quomodo & quâ ratione adhibeantur, an ad confirmationem dogmatum, an verò ad ἀντιθέσιν refutationem, & ipsi testimoniorum nervium ex grammatica vocabulorum significatione, tum circumstantiis textus eruendi ac explicandi.*

§. 3. In textuum ab Adversario objectorum *vindicatione* non minor cautio adhibenda est, ubi (1.) ex antecedent. ac consequent. (2.) ex contextu ipso (3.) ex parallelis Locis, & (4.) ipsâ phrasi textus, ostendi debet, quàm impiè textum torqueat adversarius, & quàm alienum sit, quod ex textu fluit, ab eo, quod textui infarcire voluit ille.

III. Expedi etiam non parum, si in singulis locis *breves regulæ* formentur, quæ summam doctrinæ non modò brevibus complectantur verbis, sed etiam *judicium de totius Loci doctrina gubernent.* p. 36.

§. 1. Sicut enim in omnibus disciplinis breves rerum præceptiones usu veniunt suo, quæ convenientibus declarationibus ornantur, & debitis limitationibus restringuntur, & omnium rectè sentientium *judicio, solidioris eruditionis & doctrinæ fundamenta sunt ac velut anima, quæ per omnes illarum disciplinarum artus quasi diffusa, totam istam molem dirigit & agitat.* Cuius suas *regulas juris, Medicus Hippocratis Aphorismos* habet: ita nec Theologia eo subsidiò privari debet, *cujus beneficiò ad ipsa adyta doctrinæ penetrare, & feliciter de controversiis motis judicare licet.*

§. 2. Optimè & convenienter, *norma recti judicii Theologici, à Dn. Chemnitio ejusmodi regulæ* appellantur. Si enim ut ipse monet (1.) *fundamenta habent immotum & ex ipsa Scriptura sunt*

sunt desumptæ, (1.) rectè intelliguntur & suis limitationibus ac cautelis exornantur, (3.) rectè applicantur & ad suum usum accommodantur, instar *Canonis* sunt, à quò intellectus noster in re Theologica ritè rectèque agnoscenda, dirigitur, & ab omni errore ac lapsu iudicii præservatur.

§. 3. Harum regularum perpetuus usus apparet in *Patrum* Scriptis, præsertim ubi de mysteriis fidei agunt, & vel contra hæreses pugnant, vel articulos fidei explicant; quas fideliter notavit noster *Chebnitius* passim ad singulos Locos, prout infra cognoscemus, ac collegit *D. Finckius* in *quatuor regularum Theologicarum Centuriis*.

IV. Grammatica *vocabulorum enarratio* planè non negligi debet, sed cautè eorum notari (1.) *variatio*. (2.) *vindicatio*, (3.) *peculiaris ratio*.
pag. 36.

§. 1. Non judicandum est, leve ac puerile hoc studium esse, Ecclesia enim, ut noster *Chebnitius* T. 2. L.T. art. de justif. p. 549. & 622, optimè monet, non gignit nova dogmata, sed quæ tradita & patefacta sunt voce divinâ, scrutatur, discit & accipit. Sicut autem res ipsæ in Scriptura patefactæ sunt voce divinâ in verbò: ita eadem rectè intelligi non possunt, nisi ex verâ & genuina significatione verborum, quibus Spiritus S. usus est in doctrina coelesti. Nec agitur hîc de *bello* (ut vocant) *grammaticali*, sed in præcipuis Locis doctrinæ quantum erratur in verbis, tantum etiam de rebus ipsis amittitur. Nimirum τὰ ἐν τῇ φωνῇ ἐστὶ σὺμβολα τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων, ut *Aristoteles* περὶ ἑρμηνείας docet: hoc est, vocès sunt notæ conceptuum & characteres mentis: imò juxta *Damasc. l. 1. Orthod. Fid. cap. 17.* ἄγγελοι νοήματ' internuntia conceptus: non igitur de divina veritate nobiscum communicata, aliunde judicare possumus, quàm ex verbis ac vocibus, quibus quò strictius inhæretur, eò rectius & convenientius à nobis apprehenditur id, quod in mente sua concepit Deus de hóc vel illò dogmate, nobis ad salutis nostræ necessitatem commu-
nicato.

A ;

2. Non

§. 2. Non autem *unius* generis sunt *vocabula*, quæ in Articulorum fidei explicatione, usu venire solent, sed in *triplici differentia*, uti h. l. Chemnirius noster tradit, & T. 2. L. T. art. de *Iustific. cap. 4. pag. 622.* idem repetit. Quædam sunt *Vulgaria*: quædam *Scriptura propria* seu *purè Biblica*: quædam vero *Ecclesiastica*.

§. 3. *Vulgaria* sunt, quæ ex communi consuetudine loquendi sumta, beneficio linguarum, judicari possunt ac debent, qualia sunt *εὐαγγέλιον, λύτρον* &c. *Εὐαγγέλιον* enim ex Grammatico suo & communi usu, lætum nuncium seu sermonem res bonas ac lætas nunciantem, uti *Isidorus l. VI. cap. 2.* etiam notavit, significat, ab *εὐ* & *ἀγγέλλειν* vel *ἀγγελία*, ex quo etiam vox hæc æstimari debet, præsertim ubi in Scriptura Sacra, imprimis vero in art. de discrimine Legis ac Evangelii, occurrit, sicuti *Luth. in præfat. germanica Nov. Test.* id observavit. Unde *Chrysof. Homil. I. in Matth. fol. 5.* Oratoriâ hypotyposi eleganter exponit, quomodo antiquum prælium repente dissolutum, Diabolus concussus, Demones cum tremore fugati, spolia erepta &c. & mittantur nuntii in omnem terram, nunciantes lætam liberationem. *Λύτρον* ex communi suo usu & grammatica originatione, sonat *Solutorium*, seu precium, quod pro redemptione dependitur, *παροῦσι* & *λύεσθε*, eò quòd captivi, qui vinculis tenentur, solutorio præstito & exhibitò solvantur, & liberi demittuntur. Ita apud *Livium, Xenophonem, Lucianum* sumitur; ita in *Bibliis*, LXX. Ebræas voces פֶּפֶר, הָאֵלֶּה, קִפְרִים vertunt, ut præ aliis *Martinius in Lexico fol. 1742.* annotavit, & *Phoriniani* neque ex sacro, neque ex profano scriptore, in hanc usque horam, exemplum proferre potuerunt, in quo aliter vox *λύτρον* acciperetur. Et ex communi usu, hæc vox æstimari debet, quando textus *Matth. XX, 28. I. Timoth. II, 6.* similesque alii, qui sudes in adversariorum oculis sunt, explicandi & vindicandi veniunt.

§. 4. *Purè Biblica* seu Scripturæ propria *vocabula* sunt, quæ quidem & alibi extra Scripturam apparent & usurpantur, sed tamen Scriptura ita ad suam rem eadem inflexit, ut de eorum sen-

sensu ac usu, non nisi ex Scripturæ phrasi & Spiritus S. linguâ, minimè verò ex aliis scriptis ac linguis, judicari possit. Exempli loco *Chemnitius* adducit vocabula *Justificationis* & *Gratia* & *Latius l. 2. Loc. Theol. pag. 62. & seqq.* ostendit, quantum impostum fuerit *Augustino* & aliis multis, & quam miserè hallucinati fuerint illi omnes, qui non ex idiomate Biblico, sed communi usu & Grammatica derivatione, de his vocabulis judicare voluerunt. Interea non negat, sed pluribus etiam demonstrat *p. 625.* etiam in profanâ literaturâ Biblicum significatû voculæ *Justificationis* occurrere, ut absque omni culpa & merito hoc nomine à *Becano* in *tract. de Justif. c. 2. quest. 5. n. 9.* notatus & tractatus fuerit.

§. 5. *Ecclesiastica* tandem vocabula sunt, quæ nec ex communi usu aut originatione Grammatica derivari possunt, nec ex Scripturæ idiotismo, sed ab Ecclesia, gravi consilio recepta sunt propter tergiversationes & calumnias hæreticorum, ut: *ἁγιασμα*, *Sacramentum* &c. De vocabulo *ἁγιασμα* infra in *L. de Trinit.* prolixè agit *Chemnitius p. 190. seqq.* De *Sacramenti* autem voce etiam planè apertum est & clarum, eam esse *ἁγιασμα*, & in eo sensu, qui *Loco de Sacramentis*, prout ille suum etiam in systemate Theologico locum tenet, proprius est, non nisi apud Ecclesiæ Doctores reperiri, ex consuetudine loquendi ab Ecclesia receptâ, uti *Chemnitius in Examine Concilii Trid. part. 2. fol. 200.* id luculenter ostendit. Nimirum termini hi & vocabula primò privatim à quibusdam Doctoribus usurpari ceperunt, per humani elogii inopiam & facilioris doctrinæ causâ, ut *August. in Epist. V. ad Marcellum* loquitur, ad id inductis: Deinde verò communi consensu, universali Ecclesiæ arriserunt, non quidem temerè, sed gravissimis consiliis antecedentibus, & per incumbentem necessitatem; quæ quidem non *absoluta* & *simplex* fuit, quasi absque illis phrasibus non potuisset tradi fides Christiana, & dignosci *inopodofia*; sed *hypothetica*, aliàs *necessitas expedientia* dicta, quòd beneficiò horum receptorum vocabulorum asserta veritas cœlestis rotundius declarari & ab erroribus discerni potuerit.

§. 6. Diligenter porrò vocabulorum ratio habenda venit, prout quidem illa *in abusum* tracta sunt; ubi depurgari debent ab
omni

omni *κατὰ χριστόν* & impuritate. *Chemnitius* hoc monitum illustrat vocabulis *Justificationis*, *Gratie* & *Sacramenti*. *Augustinus* vocabulum *Justificationis*, per remissionē peccatorum, quandoq; quidem rectē explicat; sed tamen quandoque verbo *sanctificare* deceptus, ad ejus similitudinem id inflectit & Catachresticē de collatione novarum qualitatū, motuum & actionum exponit, ut observavit benē *Chemn. T. 2. L. T. de Justif. p. 622. & 623.* Ita *Gratie* vocabulum variis ambiguitatibus involutum fuit, uti itidem *T. 2. pag. 721. & seqq.* *Chemnitius* exponit. *Sacramenti* etiam vox ab *Augustino* sæpē ad solum externum elementum seu rem terrenam restringitur, cujus autoritate pessimē abutuntur *Calviniani*, cum tamen *Patribus plerisq;* tota actio Sacramentalis nomine Sacramenti veniat. Hæc vocabula singulis Locis Theologicis propria, sub initium institutæ tractationis vindicari, & ad proprios fontes suos revocari, pristinoque nitore suo restitui oportet, ne simplicioribus hinc imponatur, & incautē eorum occasione, in insuperabiles errorum Syrtes, incidant.

§. 7. Sicuti & summò studiò in id enitendum est, ut *modi loquendi*, quibus & ipsa *Scriptura* & postea gravi consiliò, pia *antiquitas* usa fuit in explicandis dogmatibus fidei, *religiosè* observentur, sancteque *custodiantur*. Est enim diligentia digna piis, propter Concordiam loqui cum Ecclesia rectē sentiente. Philosophi liberas quandoque habent linguas; nobis autem in Ecclesia sobrie est loquendum, de quo *Augustinus l. X. de C. D. cap. 23. p. 605.* piè monuit: *Liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.* Ad quæ verba *Augustini*, *Ludovicus Vives* benè addit: *Quasi ex religione, ex pietate est, certo genere uti verborum.* Non igitur præter necessitatem multiplicanda sunt vocabula, quin imò cautē abstinendum est à phrasibus & vocabulis minus necessariis, ambiguis ac periculosis, sub quibus adversarii delitescere possunt, & quæ etiam iusta explicatione accedente, difficultates & ambiguitates ac dissensiones pariunt, ac Ecclesiam potius turbant, quam

29.
quàm ædificent. Exulet ergò à fidâ rectâque dogmatum fidei tractatione, omne φιλοκαίνιας καὶ καυνοφωνίας Studium; E-contra simplicitatem piscatoriam Spiritus S. amplexemur, omnia que ad ædificationem Ecclesiæ dirigamus, nec ideò statim has vel illas phrasas in Ecclesiam invehamus, quòd sano sensu excusari & defendi possint. Debemus esse genuini Ecclesiæ filii, & ad ipsius sermonem ac loquelam verba nostra formare; Wir sollen reden wie unsere Mutter redet.

V. *Definitiones & Divisiones rerum Theologicarum, in singulis doctrinæ Christianæ locis diligenter annotari & evolvi debent pag. 37.*

§. 1. Non omnibus datum est definire rem ac dividere, sed magnâ circumspectione & iudicio hîc opus est, uti *Aristot. lib. 2. poster. Analyt.* id docet. Neque enim variæ tantùm definitionis & divisionis sunt species, sed & insuper sua attributa habent & propria, quibus non cautè observatis, facillimus lapsus est in earum constitutione; ut benè moneat *Chemnitius, non cuiusvis esse tradere formales definitiones, sed satius esse, si definitiones & divisiones ab aliis dextrè traditas venemur & annotemus.*

§. 2. Cautè autem in conditionem ita constitutarum definitionum, inquirendum, ac attendendum est ad (1.) *Scopum & Consilium*, quod sibi met fixerint, qui ita rem definierunt aut dividerunt. (2.) *Controversiam* circa Definitionem ac Divisionem, sive hodiè sive olim motam. (3.) *Definitionum ac Divisionum membra*, in quæ resolvi debent. (4.) *Fundamenta* Scripturæ, quibus singula membra innitantur. (5.) *ad aliorum operam*, quam huic vel illi rei sive definiendæ sive dividendæ impenderunt, ubi collatio instituti, & quid distent æra lupinis, ostendi potest.

VI. *Consensum orthodoxæ & purioris antiquitatis* etiam in singulis dogmatibus indagare, eumq; à violentia & iniquitate adversariorum cum prudentia & iudicio vindicare debet, qui locos Theologicos rectè vult explicare, p. 38.

§. 1. Hujus cautelæ *Chemnitius* duas prægnantes adfert rationes. Ideò enim hunc laborem non defugi debere scribit, ut *partim* bonæ mentes de perpetuitate dogmatis hodiè in Ecclesia sincera & pura, sonantis, erudiantur ac confirmantur; *partim* vana adversariorum accusatio de novitate retundatur, & ostendatur, nos nihil, quod fidei ab initio traditæ repugnet, asserere, nihilque in dogmatibus innovare, sed quæ olim à florentissimis Ecclesiis, & earum Patribus defensa & propagata fuerit, religionem tenere. Aliud enim juxta *Vinc. Lerinensem common. l. c. 27. pag. 436.* est nova dicere, Aliud *prisca* novè dicere, ita ut ab erroribus lapsu temporum sequiorum introductis, fides repurgetur ac renovetur, quemadmodum *Lutherus* omnem doctrinæ novitatem à se amolitus fuit insigni *apologia T. VII f. 195.*

§. 2. Ubi diligenter observare debemus, quid per *Consensum antiquitatis* intelligatur, & quæ ac quanta sit *autoritas*, quam illi in dogmatibus fidei asserendis ac explicandis vindicemus.

§. 3. Antiquitatis consensum, *Vincentius Lerinensis* (ita dictus ab Insula Lerine, quæ in Gallia Narbonensis & Italiae confinio ad littus inter Liguriam & Massiliam sita, hodie *Lerina Sancti Honorati* vocatur, in qua fuit celebre *monasterium* ab *Honorato* erectum, cujus presbyter & Monachus fuit hic *Vincentius*) in *Commonitorio* suo primo, quod ipsemet *tertio* post *Concilium Ephesinum* anno, se scripsisse, fatetur, *cap. III. pag. 375.* succinctè, & per ejusmodi Traditionem describit, quæ *ubiquè, semper ac ab omnibus* fuerit credita. Atque ita legitimæ traditionis tres notas constituit, *Universalitatem, Antiquitatem & Consensionem.*

§. 4. *Universitas* complectitur non unam tantùm aut alteram particularem Ecclesiam ejusque Doctores, sed universam Ecclesiam cum omnibus Doctoribus ac Confessoribus suis, quicumque sunt & haberi possunt, nullo excepto aut excluso, præsertim illis, qui de religione aliquid monumentis tradiderunt in sedibus illis patriarchalibus, *Romana, Constantinopolitana, Alexandrinâ, Antiochena & Hierosolymitana*; in quas Romana quidem ceterioribus seculis dominatum sibi arrogavit: illæ verò eundem agnoscere nunquam voluerunt. Ut igitur universalis sit
tra-

traditio, non unius tantum Ecclesiæ, sed totius Catholica Ecclesiæ Doctores ac Confessores requiruntur.

§. 5. Per *Antiquitatem* non quamvis vetustatem intelligimus, sed *primævam*, quæ ab Apostolorum tempore initium sumfit. Licet enim quæ præsentis seculi respectu considerantur, vetusta esse queant, ac vel ante mille annos extiterint; tamen ista novitas, quantumvis lapsu aliquot seculorum facta sit vetus, cedit vetustati primævæ, quia sequior est à vetustate, quæ præcessit. Sola igitur prima antiquitas est principalitas ista, (quæ veritati, sicut posteritas à primævitate illa discrepans, mendacitati deputanda est, iudicio *Tertulliani de præser. cap. 31 fol. 210. Edit. Franeker. Vid. Casaub. in præfat. Exercitat.*

§. 6. Quia verò non satis est unum aut plures ex antiquitate aliquid statuisse, ideò *Communis quoque Consensio* circa *dogmata Fidei*, quæ astruuntur, requiritur. Horum nomine illa tantum veniunt, in quibus *omnes conveniunt*, quicquid sit deprivatis opinionibus in nonnullorum librorum obviis, quibus cæteri coætanei scientes, non contradixerunt. Patescere autem possunt ex *Confessionibus ac declarationibus*, quas Ecclesia olim in *Conciliis* ut plurimum proposuit, aut ex *Doctorum Confessione*. Ad hunc consensum demonstrandum non opus est, (1.) ut continuum singulorum annorum inde ab Apostolis tractum, allegemus, quod quidem *Gretserus in Resp. ad theses D. Hunnii de colloquio cum Pontificis ineundo cap. 15.* postulabat. Nam rarò hoc accidere posse *Gregor. de Valentia in Analyti fidei l. IIX. c. 8. fol. 119.* fatetur, & paulò post explicat, quinam in consensu Doctorum, *Omnes omninò Doctores sint æstimandi. Doctores omnes dicuntur*, inquit, *non mathematicè, id est, nullo planè excepto sed moraliter. Quo quidem pacto omnes esse censentur illi, quorum autoritatis pondus tantum est, circumstantiis omnibus pensatis, eruditionis, pietatis, multitudinis &c. ut à prudentibus certè eorum solummodò ratio haberi debeat, neglectis cæteris, quasi nihil sint, si cum illis conferantur.* Quinimò ipse *Gretserus* iniquitatem sui postulati agnovit, quando istud deseruit, & pro *annis secula* substituit. Neq; (2.) necesse sed superfluum potius est, ut consensum per *singula secula*

à nostris temporibus usque ad Apostolorum ætatem demonstramus, sed sufficit Consensum Patrum ex *primis quinque* vel ad summum *sex seculis* deduxisse, ad quem etiam in *Colloquio Wormacien-*
si Theologi Protestantium provocarunt, uti *Acta Colloq. Wormat.*
 apud *Philipp. Melanch. T. IV. Opp. fol. 546. & Schleid. part. 1. l. 2.* testantur. Si enim prima secula à nostris steterunt partibus, sequentium suffragia rectè poterant omitti, cum omnes de controversiâ quadam religionis disceptantes, hoc admittant, Patres quinque primorum seculorum, quatenus ab Apostolorum ætate invicem concordant, illibatae veritatis Doctores fuisse; & præterea fieri non possit, ut ceterorum seculorum Doctores orthodoxi, à primitivæ Ecclesiæ quinque priorum seculorum Doctoribus in quæstione dogmaticâ, dissentiant. Neque (3) tandem urgeri possumus in consensu hoc ostendèdo, ut *singulorum*, qui in his seculis de rebus sacris scripserunt, *scripta* monstremus. Patres enim, quos ex seculis illis allegamus, præcipuis per totum terrarum orbem Ecclesiis præfuerunt, aut in illis vixerunt: *Ignatius Antiochiæ in Syria: Gregorius Nazianzenus & Nyssenus in Asia: Justinus, Athenagoras & Dionysius Romæ: Irenæus Lugduni: Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Augustinus in Africa: Clemens & alter Dionysius Alexandria in Ægypto.* Non potest igitur non ex eorum scriptis, Confessionibus ac Symbolis, indubitato constare, quæ iis temporibus in toto terrarum orbe communis religio Christianorum fuerit. Omnes enim fuerunt similes *Lyrae*, multas quidem & distinctas chordas habenti, tamen *πνευματικῶν ἁπάντων* unum concinnum & prorsus æquabilem concentum emittenti, quæ *Theodoretus in Dial. III. f. 947* de hoc Patrum consensu elegans est similitudo. Inde *Augustinus l. I. contra Julianum Pelagianum T. VII. Opp. f. 939 seqq.* latè probat, dari peccatum originis ex consensione Patrum: *Irenæi, Cypriani, Reticii, Olympii, Hilarii, Ambrosii, Greg. Nazianzeni, Basilii Magni, Chrysostomi: E. fol. 954.* ostendit, non esse hoc *conspirationem Perditorum*, ut maledico stylo, scribebat *Julianus*, nec *multitudinem popularem*. Si *Episcopalis Synodus*, scribit *l. II. fol. 989.* ex toto orbe congregaretur, mirum, si tales possent illic facile sedere tot, quia nec isti uno tempore fuerunt.

runt. Sed fideles & multi, excellentiores paucos, dispensatores suos Deus per diversas etates, temporum locorumq; distantias, sicut ei placet atq; expedire iudicat ipse dispensat. Hos itaq; de aliis atq; aliis temporibus atq; regionibus ab occidente & oriente congregatos vides, non in locum, quo navigare cogantur homines, sed in librum, qui navigare possit ad homines. Quanto tibi essent isti iudices optabiliores, si teneres Catholicam fidem, tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, quam in lacte suserunt, quam in cibo sumserunt, cuius lac & cibum parvis magnisq; ministraverunt, quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissimè ac fortissimè defenderunt.

§. 7. *Autoritas* autem, quam in explicandis ac asserendis dogmatibus fidei, huic Consensui Ecclesiæ defert Chemnitius, non æstimari debet ex *Loco Cause Efficientis*, sed *testimonii* saltem. Non enim *Consensus* hic, est *principium* fidei, sive *μαθησιως*, quod prætoricè & independentè ostendit ac proponit credenda; sive *πράγματι*, quod efficit fidem divinam; sed saltem *testimonium*, quod de fide, perpetuò in Ecclesia sonante pronunciat, & ministerialiter saltem testatur ac ostendit, quomodo & quâ ratione perpetuò ita, & non aliter ex Scripturâ, unicâ credendi causâ ac principio fuerit creditum. Etsi verò *infallibile* ac *certum* sit hoc *testimonium*, cum, qui tam consentientis ac perpetui testimonii Patrum fidem elevatum ire velit, is eadem operâ omnes literas tollere, totam vitam humanam evertere, & ipsarum etiam scientiarum certitudinem negare necesse habeat; tamen *non nisi humana certitudo & infallibilitas* est illa, quæ non nisi humanam fidem gignit; Unde & nostra fides, quæ divina est, in testimonium hoc resolvi non potest, sed in solam Scripturam Sacram, cui non propter aliud sed propter se creditur à fidelibus. Omnes enim conclusiones ac interpretationes Theologicæ ex Scriptura deducuntur, & ad illam tanquam ad primam veritatem reducuntur. Nec Cypriano vel alii Doctore injuria fit, cum ejus quaslibet literas à Canonica Scripturarum divinarum autoritate distinguimus, ut Augustinus contra Cresconium, cap 31. fol. 218. T. VII. Opp. disputat. Quin & ipse Augustinus propriis scriptis hoc axioma abjudicat in Pro-

logo l. III. de Trinit. Tom. III. Opp. fol. 280. Noli meis literis quasi Scripturis Canonicis inservire, sed illis, & quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede: in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intelligere, noli firmum tenere. Quæ verba in Jure Canon. Dist. IX. C. noli, adducta, dum Glossator ita limitat. Leguntur hæc secundum illa tempora, cum adhuc scripta Augustini & aliorum SS. Patrum non erant authentica; merito reprehenditur ab Alphonso à Castro l. II. adversus hæreses cap. 7. ubi statuit, Esse miserissimam servitutem, sic additum esse sententiæ humanæ, ut non liceat ei ullo modo repugnare, quin imò hæresin esse, velle Scripturas humanas in divinarum ordinem referre.

§. 8. Est præterea *Necessitas* hujus consensus, non *Absoluta* ac *Simplex*, sed *Expedientiæ*, ut *Scholastici* loquuntur, secundum quam necessarium quid dicitur, nõ quòd sine eo finis obtineri nequeat, sed quòd expeditius ita obtineri possit. Dum enim intelligimus, in hoc vel illo articulo ita pristinam credidisse Ecclesiam, ferventius & acrius redditur studium nostrum, quod articulo huic vel isti impendere solemus, & citius convincitur novitatis adversarius, id quod in *Colloquio Lipsiensi Lutherus*; in *Examine Tridentini Concilii Chemnitius*; in *Controversia cum Hubero B. Hunnius quest. & Resp. de Prædest. Tom. I. Opp. fol. 901.* observavit. Tum demum Consensus hic in disputationibus etiam ut argumentum humanum utilis est locumque suum invenit, si consensum istum adversarius admittat. Si autem contingat, ut ex solis scripturis sacris secum disputari postulet, & ex Scripturarum tantum testimoniis is convinci velit, utiq; ex solis Scripturis sacris, & non simul ex Traditione adversus illum erit pugnandum, id quod etiam Chemnitius noster in verbis suis §. 1. allegatis, luculenter indicat.

§. 9. *Judicium* in Consensu Patrum, eruendo, etiam adhibendum est, summaq; cautio adhibendo. Et quidem noster Chemnitius pag. 38. aciem mentis dirigere jubet, tum ad ipsa Scripta, tum ad modum tractandi dogmata in illis Scriptis observatum.

§. 10. Quod ad ipsa Scripta Patrum attinet, non statim titulo, nomen celebris cujusdam auctoris præ se ferenti, est fides habenda, neque simpliciter amplexandum est, quod in ipsis Scri-
ptis

ptis producitur, cum multa Scripta non sint eorum, quorum nomen in titulo appositum est; multa etiam alias genuina, corrupta & interpolata. Satis perspecta ac cognita est in Ecclesia hæreticorum fraus ac dolus. *Arriani* olim sub nomine *Athanasii* scripserunt *litteras ad Constantinum*, ut est in *Apologia Athanasii ad Constantinum*; *Eutychniani* sub nomine *Theodoretii* acerrimi hæreticorum impugnatoris scripserunt *Epistolam contra Cyrillum Alexandrinum* jam defunctum, ut *Baron ad annum Christi 553.* annotavit. Multa olim confuta & fucata sub *Clementis* nomine prodisse, *Euseb. l. III Hist. Eccles. cap. 35. f. 42.* testatur, & *Clementinarum Epistolarum*, inter *Decretales* numeratarum fraudem *Clementinus Tom. II. Loc. Theol. pag 394.* detexit. Ut propterea magna hinc cautione opus sit, ne supposititia Scripta pro genuinis recipiantur. Non minus de *corruptione & interpolatione* quorundam Scriptorum res certa est; & verè *Ludov. Vives ad l. XXII. August. de Civit. Dei cap. 8. pag. 693.* notavit, non dubium esse, quin multa fuerint addita ab iis, qui omnia magnorum virorum scripta spurcis suis manibus contaminabant. Istud non est prætereundum, scribit *Sixtus Senensis in præfat. l. V. Bibliothec. quòd Pamphilius Martyr, Eusebius Casariensis, Didymus & Rufinus conquesti sunt, videlicet Clementis, Dionysii, Origenis, Athanasii & aliorum nobilium Doctorum scripta plurimum fuisse olim pessimè tractata ab hæreticis, qui ut heresibus suis fidem & auctoritatem sub nomine clarissimorum Patrum conciliarent, multa quoque de suis dogmatibus inseruerunt. Memorat Autor Expositionis Symboli, qui Rufinus esse creditur, fuisse perversos homines, qui ad assertionem suorum dogmatum, sub virorum sanctorum nomine inseruerint, quæ illi nunquam scripserunt. Propterea integri tractatus sunt conscripti, quibus Pseudepigrapha & Interpolata scripta sunt notata, ut cum delectu legerentur, quales ediderunt in Anglia, Robertus Cocus; in Belgio, Andreas Rivetus, in Italia, Robertus Bellarminus. Legi etiam hinc possunt Orthodoxi Dd. post Centuriatores Magdeburg. B. Gerhardus in Confess. Cathol. l. i. general. part. 2. cap. 13. à pag. 610. usq. ad pag. 708. D. Dorscheus contra Kircher. p. 83. seq. D. Danbavver in Christ. eid. p. 247. seqq.*

II. Quan-

§. II. Quando autem jam constat de genuinis Patrum scriptis, ad *ipsum modum tractandi*, cujus in suis scriptis Patres habuerunt rationem, accuratè attendi oportet. Qui enim tractandi modus in *peripateticâ Scholâ* frequentatur, ut nunc *solidè & accuratè* de rebus agi soleat, prout ipsa earum natura postulat, adductis rationibus vernaculis scientificis, & ut Logici vocant, *analyticis*; nunc verò *populariter* illæ tractentur, habito ad captum auditorum respectu, & allatis rationibus communibus; is etiam in Patrum deprehenditur scriptis, quæ propterea non æqualiter fluunt, sive sint *Didascalica*, sive *agonetica*, sive *Demegorica*. Singula peculiare aliquid circa modum tractandi, habent. In *Didascalicis* enim scriptis, ubi vel scripturam explicant, vel articulos fidei exponunt, accuratiores quidem Patres quandoque sunt, sed tamen & in his defectus quidam cernitur, cum vel *ex linguarum ignorantia*, aut *vitiosâ Bibliorum versione* error nonnunquam obrepit: vel literalis sensu posthabito *allegorias* sectantur; vel in capitibus certis nondum controversis *securius* loquuntur & obiter aliquid explicant: vel denique *disimulant*, quæ aliàs minimè probant, ne in receptis sententiis & ritibus vulgo obnitantur. Agnovit hoc Hieronymus l. II. Apolog. advers. Rufinum f. 755. Certè, inquit, *antequam in Alexandria quasi Dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam & minus cautè locuti sunt, & quæ non possunt perversorum hominū calumniam declinare.* Eadem ratione Augustinus à Chemnitio citatus l. I. contra Julianum cap. 2. veteres exculat, quod de peccato originali & libero arbitrio Pelagianis nondum litigantibus negligentius locuti fuerint. Idem Pater contra Faustum l. XX. c. 21. T. VI. Opp. fol. 375. scribit: *Aliud est, quod docem⁹, aliud, quod sustinem⁹, aliud quod præcipere jubemus; aliud quod emendare præcipimus & donec emendemus, tolerare compellimur.* Qui cum fructu versari in Patrum lectione volent, semper meminerint, aliter Patres loqui cum *didacticis* & serio aliquid tractant, aliter cum obiter & ut ipsi dicere solent *diagnosticis*, dum proposito suo serviunt, monuit Casaubonus in notis ad Epist. Gregorii Nysseni ad Ambrosium & Basilissam pag 89. In *agonisticis* scriptis & quando Patres cum Antagonistis seu adversariis

sariis suis congregantur, sæpiusculè accidit, quod *Athanasius* jam suo tempore animadvertit, ut viris piis in scribendi calore excidant quædam *δυσεραπειντα*, id est, quæ difficulter excusatione aliquâ purgari queunt. Ita excusat *Basilus Epist. LXIV. ad Ecclesie Neo-Cæsariana Doctores*, dictum *Gregorii*, qui in expositione fidei scripserat: Patrem & Filium juxta mentis considerationem duos esse, hypostasi verò unum. Nempe *ὑπόστασιν* pro *ῥοίᾳ* sumsit. Hoc, ait *Basilus*, *ἢ δογματικῶς ἀλλὰ ἀγωνιστικῶς ἐν τῇ πρὸς Ἀλιανὸν διαλέξει* non dogmaticè, sed contentiosè in disputatione adversus *Ælianum* (Samosatenum) dictum est. Ita *Orthodoxus* apud *Theodoretum Dial. III. fol. 952. Eranisti* referenti, quod multam in Patrum scriptis divisionem aspexisset, respondet: *Ne agrè tuleris, vehemens enim adversus adversarios contentio in causâ fuit, ut modum excederent &c.* In *Demegoricis* aliisque *Oratoris* scriptis, Patres itidem non omnia pressè atque juxta dogmaticam rationem, accuratè proferunt; sed *Orationis* cursu & affectus impetu rapti, vel occasione temporum, locorum & personarum adducti, populariter aliquid dicunt, *κατὰ τὸ πῶς προσηγορίας*, ut homines loqui solent. Ita de se ipso fatetur *Hieronymus in fine disp. adv. Helvid. T. I. Opp. fol. 451. Rhetoricati sumus, & in morem declamatorum paulisper lusimus.* Hoc discrimen scriptorum si quis advertit, facilè intelliget, quos articulos, & in quibus libris, sincerius tractent ac cõmodius explicent Patres; & qua occasione aliquando securius loquantur; & quomodo illa dicta commodè juxta analogiam fidei interpretanda sint, uti *Chemnitius* noster monuit p. 38. Plura addere, quia de illis nihil *Chemnitius* monet, nolimus; Legi de *Cautelis* pluribus possunt *B. Gerhard. in Meth. Stud. Theol. p. 244. ad 298. & Polyander Batavorum Theologus in Orat. de vera antiquitate ac cautionibus ad Ecclesiasticorum scriptorum lectionem adhibendis*, quæ habetur in *Syntagm. Exerc. Theol. p. 273. seqq. Piscator in præfat. Proverb. Salom. ubi causas expositionum variarum. Scripturæ*, quibus referta sint *Patrum* scripta, exponit, aliq. plures.

§. 12. Postquam autem consensus *Orthodoxæ Antiquitatis* ita ab eo, qui dogmata fidei tractat, ex suis fontibus cum judicio ac prudenter erutus fuerit, insuper ostendendum erit, quam falsò consensum hunc ad suas partes trahant adversarii, ac ad suos er-

C

rores

rores stabiliendos detorqueant; ut sic, gloriationis imprimis Papistarum vanitas omnibus appareat, dum clamitant, à suis partibus esse universum chorum Patrum, & injuria, quam charissimis huiusce Viris faciunt, vindicetur, ac econtra ostendatur, tantum abesse, ut Patres pro adversa hæreticorum parte militent, ut potius toto pectore reclamaverint illis, sicut notavit noster Chemnitius & laudabiliter ac egregie id contra Papistas in *Examine Conc. Trid.* monstravit.

VII. Non in *thesi* autem tantum asserenda veritas est, sed etiam in ejusdem *antithesi* seu oppositam adversariorum sententiam, cautè animadvertendum erit ab eo, qui *Locos* [ut vocant] *Theologicos* tractare ritè cupit. p. 38.

§. 1. Hoc monitum Chemnitius noster ex Epistola ad Tit. c. I, 9. stabilit, ubi Apostolus in Episcopo requirit, ut potens sit contradicentes convincere. Duo n. sunt Doctoris Ecclesie officia, pro duobus generibus hominum, cum quibus eidem res ac negotium est; videlicet, sinceram doctrinam fidei domesticis proponere; & eos, qui sese opposuerunt, refutare ac convincere. Ἐπιστολιῶν, non quidem pugno aut gladio, sed ut Hieronymus exponit, testimoniorum pondere.

§. 2. Fieri autem convictio hæc debet (1.) dogmaticè per veræ thesios propositionem & confirmationem, sicut Apostoli proposuerunt eam: (2.) historicè & per præjudicia, ubi antiqua certamina quoad omnes suas circumstantias diligenter recognosci debent, & collatio ad noviter exorta institui; ac ostendi, nihil novum adversarios hodiè adferre, sed variatis paulisper coloribus, antiquas hæreses ab inferis rursus ab illis excitari. (3.) Polemicè etiam refutatio institui debet, & primò quidem per nostrorum argumentorum vindicationem ac exceptionum adversariorum dilutionem; deinde verò per errorum demonstrationem, & solidam adversariorum argumentorum refutationem. Usus & praxin horum egregie monstravit ipse Chemnitius, uti ex seqq. Dissp. id cognoscemus.

8. Do-

IIX. Doctrinarum *distincta* genera, Philosophicum, Legale & Evangelicum cautè distinguenda, & confusio earum omnibus viribus cavenda. p. 39.

§ 399.

§. 1. Necessitatem hujus cautelæ ostendit *Chemnitius* ex periculo & turbis, quas fecit confusio dogmatum horum in Ecclesia, & dum nunc rationi ac Philosophiæ nimium ablandiri; nunc Legem & Evangelium confunderè cœperunt olim, nec hodiè cessant *Calviniani, Photiniani & Papista*, experimur, quàm fertilis seges sit corruptionum inde descendentium.

§. 2. Non equidem hoc vult *Chemnitius*, dogmata hæc repugnare sibi invicem, & quod in lege verum est, falsum esse in Evangelio; quod in Philosophia verum, falsum esse in Theologia. Non hoc vult accuratus hic Theologus. Saltem *terminos singulis his dogmatibus figit*, qui cautè observari debent & caveri, ne ex applicatione imprudenti confusio distinctorū fiat, sed singula dogmata intra suos fines sanctè retineantur. *Sacrilegii enim vel maximi instar est, humi quærere quod in sublimi debeas invenire*, uti *Minutius Felix in Octavio* habet fol. 10. Aliàs quod verum in Philosophia est, nunquam fit falsum in Theologia; nec contra, quod in Theologia verum est, falsum fit in Philosophia, sed tantum non-verum. Quia enim Philosophia ignorat hoc objectum, saltem *negative* non *contradictorie* circa istud versatur. Vide *Disp. de Judic. circa contrad. in myst. fidei B. Gerhardi T. II. disp. Theol. p. 1625 & seq.* Et taliter etiam cum *Legis dogmate* comparatum est. *Legem inanem reddimus per fidem?* quærit *Apostolus*, ac respondet: *Abst. imò legē stabilimus*, *Rom. 3. 31.* Etiam si enim non secundum legem justificemur, & Evangelium longè aliter atq; Lex, nos justificari doceat; tamen non contra Legē justificamur, nec contra Legē ita docet Evangelium. Lex justificat eum, qui strictim observat legem; Hoc non negat Evangelium, sed ostendit saltem, quâ ratione justificetur, qui Legem non observat sed peccator est, à Lege accusatus & ad condemnationem postulatus.

9 Sin-

40.

IX. Singula Loca System. Theologici ad suum u-
sus applicari debent, & ostendi, quomodo seriis
exercitiis pœnitentiæ, fidei, invocationis & obe-
dientiæ inservire debeant. p. 39.

§. 1. Ostendit hoc ex fine revelationis doctrinæ cœlestis *Chemnitius* noster: *Non eam ob causam prodiit Filius Dei, verba gravissima ejus sunt, ex arcanâ sede Patris & revelavit doctrinam cœlestem, ut seminaria spargeret disputationum, quibus ostentandi ingenii causa luderetur: sed potius, ut homines de vera Dei agnitione & omnibus iis, quæ ad æternam salutem consequendam necessaria sunt, erudirentur.*

§. 2. Hinc improbat non immerito Studium Theologicum, quod in Theoriâ nudâ saltem versatur, & in artem disputatoriam unicè ac solùm abit, ut verè dictum sit: *Theologiam magis consistere in affectu, quàm in cognitione.*


§. 3. Licet enim fieri possit, ut Theologus accuratus & doctus quandoque malus sit Christianus & hypocrita, uti exemplo *Beleami Num. XXVII, 22.* id manifestum est, tamen gratiosâ Spiritus S. præsentia semet privat ejusmodi homo, & multorum scandalorum pararius est. Unde detestari potius hoc quàm imitari, Studiosus debet, qui semper in corde & animo habeat istud *Sapientis cap. I, 4. Sapientia non ingreditur animam malignam, nec habitat in corpore peccatis obnoxio.*


Et hæc prolegomenon locò *Chemnitius* noster monere voluit, in quibus præter spem & intentionem, materiæ ubertas prolixitatem nobis fecit; In cæteris id daturi sumus operam, ne ipsam Locorum *Chemnitianorum* molem nostra *Illogice* exæquet vel etiam superet. Conservet nos Deus in Veritate sua!

§(o)§

AB 42 $\frac{3}{i,9}$

VO 17






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



A.
IS AD LOCOS
hemnitii,
TIO II.

RATIONE
IS ADVERTEN-
UTELIS COM-
SA,
ARPZOVV SS. Theol.
ico & ad D, Thomæ
te;
te
an / Belgrâ-Misn.
mi 1648.
r.
E,
GI CÔLERI.

